

cientis: est enim comparatio animae ad corpus, sicut est comparatio artis ad artificiatum, ut dicit Philosophus Lib. VII. Moral. Endemiorum cap. v. Quidquid autem explicite in artificato ostenditur, hoc totum implicite, & originaliter in ipsa arte continetur: & similiter etiam quidquid in partibus corporis apparet, totum originaliter, & quodammodo implicite in anima continetur. Sicut ergo artis opus non esset perfectum, si artificato aliud deesset eorum quae art continet; ita nec homo posset esse perfectus, nisi totum quod in anima implicite continetur, exterius in corpore explicetur; nec etiam corpus ad plenum proportionatiter responderet animae. Cum ergo oporteat in resurrectione corpus hominis esse animae totaliter correspondens, quia non resurgit nisi secundum ordinem quem habet ad animam rationalem; oporteat etiam hominem perfectum resurgere, utpote quod ad ultimam perfectionem consequendam reparatur: oportet quod omnia membra quae nunc sunt in corpore, in resurrectione hominis reparantur.

Ad primum ergo dicendum, quod membra duplicitate possunt considerari in comparatione ad animam: vel secundum habitudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem. Eadem est enim comparatio totius corporis ad totam animam, & partium ad partes, ut dicitur in II. de Anima, text. ix. Si ergo membrum accipiat secundum primam comparationem, finis ejus non est operatio, sed magis perfectum esse speciei; quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem (1) membrum accipiat secundum secundam comparationem, sic finis ejus est operatio; nec tamen sequitur quod quando deficit operatio, frustra sit instrumentum: quia instrumentum non solum servit ad exercitandam operationem agentis, sed ad ostendendum virtutem ipsius: unde oportebit ut virtus potentiarum animae instrumentis corporis demonstretur, eis numquam in actu prodeant, ut ex hoc commendetur Dei sapientia.

Ad secundum dicendum, quod intestina resurgent in corpore, sicut & alia membra; & plena erunt, non quidem turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus.

Ad tertium dicendum, quod actus quibus meremur, non sunt proprie loquendo manus, vel pedis, sed hominis totius; sicut & operatio artis non attribuitur instrumento, sed artifici, ut Philosophus dicit I. Ethic. cap. ix. Quamvis ergo membrum quod ante penitentiam est mutilatum, non sit cooperatum homini in statu illo quo gloriam post meretur, tamen ipse homo meretur ut totum præmetur, qui ex toto quod habet, Deo servit.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod anima habet se ad corpus animatum sicut ars ad artificiatum, & ad partes eius sicut ars ad sua instrumenta; unde & corpus animatum organicum dicitur. Ars autem uitri instrumentis quibusdam ad operis intenti executionem, & hæc instrumenta sunt de prima intentione artis. Utitur etiam alii instrumentis ad conservationem principalium instrumentorum, & hæc sunt de secunda intentione artis; sicut ars militaris nititur gladio ad bellum, & vagina ad gladii conservationem. Ita etiam in partibus corporis animati que-

(1) Al. anima. (2) Al. & non sunt. (3) Al. famae. (4) Nicolai vegetantur. (5) Al. vocatur os. (6) Ita etiam ms. sed in Suppl. quæst. LXXX. art. 3. dealterari, & mox dealterata.

dam ordinantur ad operationes animæ exequendas, sicut cor, hepar, manus, & pes; quædam autem ad conservationem aliarum partium, sicut folia sunt ad cooperitum fructuum: ita etiam capilli, & unguis sunt in homine ad custodiam aliarum partium: unde sunt de secunda perfectione corporis humani, quamvis non de prima. Et quia homo resurget in omnی perfectione suæ naturæ, proper hoc oportet quod capilli, & unguis resurgent in ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod illæ superfluities expelluntur à natura quasi ad nihil utiles, unde non pertinent ad perfectionem corporis humani; securus autem est de aliis superfluitatibus, quas sibi natura retinet ad generationem capillorum, & unguium, quibus indiget ad membrorum conservationem.

Ad secundum dicendum, quod semine non indigerat ad perfectionem individui, sicut capillis, sed solum ad perfectionem speciei.

Ad tertium dicendum, quod capilli, & unguis nutritiuntur, & augentur; & sic patet quod aliqua operatione participant, quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ: & quia in homine non est nisi una anima, scilicet anima rationalis, constat quod ab anima rationali perfectas sunt, quamvis non usque ad hoc quod operatione sensus participant, sicut nec ossa, de quibus constat quod resurgent, (2) & sunt de integritate individui.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod quidquid pertinet ad integratem humanæ naturæ in resurrectione, hoc totum in eo resurget ratione predicta: unde oportet quod illa humiditas corporis resurgat in homine quæ ad integratem ejus pertinebat. Est autem in homine triplex humiditas. Quædam enim humiditas est in recedendo à perfectione hujus individui, vel quia est in via corruptionis, & à natura abjectum, sicut urina, sudor, (3) sanies, & hujusmodi; vel quia à natura ordinatur ad conservationem speciei in alio individuo, sive per actum generantem, sicut semen, vel per actum nutrientem, sicut lac: & nulla talium humiditatum resurgent, eo quod non est de perfectione individui resurgentis. Secunda humiditas est quæ nondum pervenit ad ultimam perfectionem quam natura operatur in individuo, sed est ad illam ordinata à natura; & hæc est duplex. Quia quædam est quæ habet aliquam formam determinatam, secundum quam continetur inter partes corporis, sicut sanguis, & alii tres humoris, quos natura ordinavit ad membra, quæ ex eis (4) generantur; sed tamen habent alias formas determinatas, sicut & aliae partes corporis: & ideo resurgent cum aliis partibus. Quædam vero humiditas est in via transuersi de forma in formam, scilicet de forma humoris in formam membrorum: & talis humiditas non resurgent, quia post resurrectionem partes corporis singulæ in suis formis stabilierunt, ut una in altam non transeat: & ideo non resurgent illa humiditas quæ est in ipso actu transuersi de forma in formam. Hæc autem humiditas potest in duplice statu accipi: vel secundum quod est in principio transmutationis, & sic (5) vocatur ros, illa scilicet humiditas quæ est in foraminibus parvarum venarum: vel secundum quod est in progressu transmutationis, & incipit jam (6) dealbari, & sic vocatur cambium. In neutro autem statu resurgent. Tertium genus humiditatis resurgent in membris, & sic vocatur di-

ditatis est quod jam pervenit ad ultimam perfectionem quam natura intendit in corpore individui, quæ jam est dealbata, & incorporata membris: & haec vocatur glutem; & cum sit de substantia membrorum, resurger, sicut alia membra resurgent.

Ad primum ergo dicendum, quod caro, & sanguis in verbis illis Apostoli non accipiuntur pro substantia carnis, & sanguinis, sed pro operibus carnis, & sanguinis, quæ sunt opera peccati, vel opera animalis vitæ. Vel secundum quod dicit Augustinus in Enchirid. cap. xc. caro, & sanguis accipitur ibi pro corruptione, quæ nunc dominatur in carne, & sanguine: unde etiam subditur in verbis Apostoli: *Neque corruptio incorruptionem.*

Ad secundum dicendum, quod sicut membra servient generationi erunt post resurrectionem ad integratem humanæ naturæ, non ad operationem quæ nunc exercetur per membra illa; ita & humores erunt in corpore non ad restorationem deperdi, sed ad integratem humanæ naturæ reparandam, & ad virtutis naturalis ostensionem.

Ad tertium dicendum, quod sicut sunt elementa in via generationis respectu corporum mixtorum, quia sunt eorum materia, non autem ita quod semper sint in transuerso in corpore mixto; ita etiam humores se habent ad membra: & proper hoc sicut elementa in partibus universi habent formas determinatas, ratione quarum sunt in perfectione universi, sicut corpora mixta; ita & humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & aliae partes, quamvis non perveniant ad totam perfectionem, sicut aliae partes; nec elementa habent ita perfectas formas sicut mixta. Sicut autem partes omnes universi perfectionem à Deo consequuntur non æquilater, sed secundum suum modum unumquodque; ita etiam humores aliquo modo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo sicut partes perfectiores.

SOLUTIO IV.

Ad quartam questionem dicendum, quod unumquodque sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, ut in II. Metaph. text. iv. dicitur: quia illa res vera est quæ ita est, ut videtur cognitori secundum actum: & proper hoc Avicenna dicit tract. II. Metaph. cap. iv. quod veritas unusquisque rei est proprietas sui esse quod stabilitum est ei: & secundum hoc aliquid dicitur esse de veritate humanæ naturæ, quia propriæ pertinet ad esse humanæ naturæ, & hoc est quod participat formam humanæ naturæ; sicut verum aurum dicitur quod habet veram formam auri, ex qua est proprium esse auri. Ut ergo videatur quid sit illud quod est de veritate humanæ naturæ, sciendum, quod circa hoc est triplex opinio.

Quidam enim posuerunt, quod nihil de novo esse incipit de veritate humanæ naturæ; sed quidquid ad veritatem humanæ naturæ pertinet, totum fuit in ipsa institutione humanæ naturæ de veritate ejus, & hoc per seipsum multiplicatur ut ex eo possit semen decidi à generante, ex quo filius generetur: in quo etiam illa pars decisa multiplicatur, & ad perfectam quantitatem pervenit per argumentum, & sic deinceps; & ita multiplicatum est totum genus humanum.

Unde secundum hanc opinionem quidquid ex alimento generatur, quamvis videatur speciem carnis, aut sanguinis habere, non tamen pertinet ad veritatem humanæ naturæ.

(7) In editione Nicolai deest quod scilicet est ex semine generatum: (8) Al. quod radicale dicitur.

(9) Al. per concubitatem. Nicolai per tractatatem.

Alii vero dixerunt, quod aliquid de novo addiatur ad veritatem humanæ naturæ per transmutationem naturalem alimenti in corpore humanum, considerata veritate humanæ naturæ in specie, ad cuius conservationem ordinatur actus generativæ virtutis. Si autem veritas humanæ naturæ in individuo consideretur, ad cuius conservationem, & perfectionem actus nutritivæ virtutis ordinatur, non additur aliquid per alimento quod sit primo de veritate humanæ naturæ hujus individui, sed solum secundario. Ponunt enim quod veritas humanæ naturæ primo & principaliter consistat in humido radicali, (7) quod scilicet est ex semine generatum, ex quo est prima constitutio corporis humani: quod autem convertitur de alimento in veram carnem, & sanguinem, non est principaliter de veritate humanæ naturæ illius individui, sed secundario; sed potest esse principaliter de veritate humanæ naturæ alterius individui quod ex semine illius generatur. Semen enim ponunt esse superfluum alimenti, vel cum admixtione alicuius quod est primo de veritate humanæ naturæ in generante, ut quidam dicunt; vel sine admixtione ejus, ut dicunt alii: & sic quod est humidum nutrimentale in uno, fit humidum radicale in alio.

Tertia opinio est, quod aliquid de novo incipit esse principaliter de veritate humanæ naturæ etiam in isto individuo: quia non est distinctio talis in corpore humano, ut aliqua pars materialis signata de necessitate per totam vitam renianeat; sed ad hoc indifferenter se habet quælibet pars signata accepta, quod maneat semper quantum ad id quod est speciei in ea, sed potest fluere, & refluere quantum ad id quod est materia in ipsa: & sic humidum nutrimentale non distinguunt à radicali ex parte principi, ut dicatur radicale quod est ex semine generatum, nutrimentale quod generatur ex cibo; sed magis distinguunt ex termino, (8) ut radicale dicatur quod ad terminum generationis pervenit per actum generativæ, vel etiam nutritivæ virtutis; sed nutrimentale, quia nondum pervenit ad hunc terminum, sed est adhuc in via nutriendi.

Et hæc tres opiniones in II. Lib. dist. xxx. quæst. 11. art. 1. in corp. plenius (9) positæ, & investigatae sunt: & ideo non debent hic repeti, nisi quantum ad propositionem pertinet.

Sciendum est ergo, quod secundum has opiniones diversimode ad hanc questionem oportet respondere.

Prima enim opinio per viam multiplicationis quam ponit, potest ponere perfectionem veritatis humanæ naturæ & quantum ad numerum individuorum, & quantum ad debitum quantitatem unusquisque individui absque eo quod ex alimento generatum est: quod quidem non additur nisi ad resistendum consumptioni, quæ posset induci per actionem caloris naturalis, sicut argento apponitur plumbum, ne ex liquefactione consumatur. Unde cum in resurrectione oporteat naturam humanam in sua perfectione reparari, nec calor naturalis runc agat ad consumptionem humili naturalis, nulla necessitas erit quod resurgat aliquid in homine quod ex alimento sit generatum; sed resurget tantum illud quod fuit de veritate humanæ naturæ individui, & per decisionem, & multiplicationem ad prædictam perfectionem pervenit in numero, & quantitate.

Secunda autem opinio, quia ponit quod eo quod generatur ex nutrimento, indigerat ad perfectionem

quantum

DISTINCTIO XLIV.

quantitatibus individui, & ad multiplicationem qua sit per generationem, necesse habet ponere aliquid de hoc in quod conversum est alimentum, resurgere; non tamen totum, sed solum quantum indigetur ad perfectam reintegrationem naturae humanae in omnibus suis individuis: unde ponit haec opinio, quod totum illud quod fuit in substantia seminis, resurgent in illo homine qui ex illo semine generatus est, quia hoc est principaliter de veritate humanae naturae in ipso.

De eo autem quod postea advenit per nutrimentum, tantum resurget in eo, quantum est necessarium ad perfectionem quantitatis, & non totum: quia hoc non pertinet alter ad veritatem humanae naturae nisi quatenus natura indiget eo ad perfectionem quantitatis. Sed quia hoc humidum nutritmentale fluit, & refluit, hoc ordine reparabitur quod illud quod fuit de substantia corporis hominis, totum reparabitur, & de eo quod secundo, & tertio, & deinceps advenit, quantum necessarium est ad quantitatem reintegrandam duplice ratione. Primo, quia super hoc quod advenit inductum fuit, ut illud quod primo erat deperditum reparetur; & ideo non ita principaliter pertinet ad veritatem humanae naturae sicut praecedens. Secundo, quia adjunctio extranei humidi ad primum humidum radicale facit quod totum permixtum non ita perfecte participet veritatem speciei sicut primum participabat, ut ponit exemplum Philosophus in I. de generat. text. LXXXVII. de aqua permixta vino, quae semper ejus virtutem debilitat, ita quod in fine ipsum aquosum reddit. Unde sicut secunda aqua, quamvis assumatur in speciem vini, non tamen ita perfecte speciem vini participat sicut prima quae in vinum assumebatur; ita quod de alimento secundo in carnem convertitur, non ita perfecte attingit ad speciem carnis sicut quod primo convertebatur: & ideo non ita pertinet ad veritatem humanae naturae, nec ad resurrectionem. Sic ergo patet quod haec opinio ponit resurgere totum id quod est de veritate humanae naturae principaliter, non autem totum quod est de veritate humanae naturae secundario.

Tertia autem opinio quantum ad aliquid differt a secunda, & quantum ad aliquid convenit cum ea. Differt quidem quantum ad hoc quod ponit totum quod est sub forma carnis, & ossis, eadem ratione ad veritatem humanae naturae pertinere: quia non distingui aliquid materiale signatum permanens in homine toto tempore vita ejus, quod per se pertinet ad veritatem humanae naturae, & primo; & aliquid fluens, & refluens, quod pertinet ad veritatem humanae naturae solum propter quantitatis perfectionem, non propter primum esse speciei, sicut secunda opinio dicebat: sed ponit omnes partes que non sunt praeter intentionem nature aggregatae, pertinere ad veritatem humanae naturae quantum ad id quod habent de specie, quia sic manet; non autem quantum ad id quod habent de materia, quia sic fluunt, & refluent indifferenter, ut ita etiam intelligamus contingere in partibus hominis unitus sicut contingit in tota multitudine civitatis; quia singuli subrahuntur a multitudine per mortem, aliis in locum eorum succedentibus: unde partes multitudinis fluunt, & refluent materialiter: sed formaler manent, quia ad eadem officia, & ordines substituuntur alii, a quibus priores subrahantur: unde republiqua una numero manere dicitur. Et similiter etiam dum quibusdam partibus fluentibus aliæ reparantur in eadem figura, & in eodem situ, omnes

(1) Al. & redeunt. (2) In Supplement. loc. cit. art. 4. concordat cum illa, alias omisis.

partes fluunt (1) & refluent secundum materiam, sed manent secundum speciem; manet nihilominus unus homo numero. Sed convenient tertia cum secunda opinione, quia ponit quod partes secundo advenientes non ita perfecte pertingunt ad veritatem speciei sicut quae primo advenerunt: & ideo idem quod ponit resurgere in homine secunda opinio, ponit tertia, sed non penitus eadem ratione. Ponit enim, totum illud quod ex semine generatum est, resurgere, non quia alia ratione pertinet ad veritatem humanae naturae quam hoc quod postea advenit, sed quia perfectius virtutem speciei participat; quem ordinem ponebat secunda opinio in his quae postea advenerunt ex alimento: in quo etiam haec opinio (2) concordat cum alia, scilicet secunda.

Ad primum ergo dicendum, quod res naturalis non est id quod est, ex sua materia, sed ex sua forma: unde quamvis illud materia quod quandoque fuit forma carnis bovinæ, resurgat in homine sub forma carnis humanæ, non sequitur quod resurgat caro hominis: ita enim etiam posset concludi quod resurgere limus, de quo formatum est corpus Adæ. Tamen prima opinio concedit hanc rationem.

Ad secundum dicendum, quod costa illa non fuit in Adam de perfectione individui, sed ordinata ad multiplicationem speciei: unde non resurget in Adam, sed in Eva, sicut & semen non resurget in generante, sed in generato.

Ad tertium dicendum, quod secundum primam opinionem facile est ad hoc respondere: quia carnes comedentes numquam sunt de veritate humanæ naturæ in comedente; fuerunt autem de veritate humanæ naturæ in eo cujus carnes comeduntur: & ita resurgent in primo, & non in secundo. Sed secundum secundam opinionem: & secundum tertiam unusquisque resurgent in illo in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei; & si æqualiter in utroque accesserit, resurgent in illo in quo primo fuit: quia in eo primo habuit ordinem ad resurrectionem ex conjunctione ad animam rationalem illius hominis: & ideo si in carnibus comeditis fuit aliqua superfluitas quae non pertinet ad veritatem humanæ naturæ in primo, resurgent poterit in secundo; alias illud quod pertinebat ad resurrectionem in primo, resurgent in eo, & non in secundo; sed in secundo, loco ejus sumetur vel aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est; vel si nullo cibo umquam pastus fuisset nisi carnibus humanis, divina virtus aliunde suppleret quantum indigetur ad perfectionem quantitatis, sicut supplet in illis qui ante perfectam ætatem decidunt. Nec per hoc aliquid prejudicatur identitati in numero, sicut nec prejudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt, & refluent.

Ad quartum dicendum, quod secundum primam opinionem facile est solvere: quia ponit quod semen non est ex superfluo alimenti, unde carnes comedentes non transeunt in semen, ex quo pueri generantur. Sed secundum alias duas opiniones dicendum est, quod non est possibile quod totum quod fuit in carnibus comeditis, in semen convertatur: quia post multam depurationem cibi pervenient ad decoctionem seminis, quod est superfluitas ultimi cibi. Illud autem quod de carnibus comeditis in semen convertitur, magis pertinet ad veritatem humanæ naturæ in eo qui ex semine nascitur, quam in illo ex cuius carnibus semen est generatum: & ideo, secundum regulam prius datam, hoc quod in semen conversum est, resurget in eadem figura, & in eodem situ, omnes

surget in eo qui ex semine nascitur; residuum autem materiae resurget in illo ex cuius carnibus comeditis semen est generatum.

Ad quintum dicendum, quod embrya non pertinent ad resurrectionem ante animationem per animam rationalem: in quo statu jam mulier advenit supra substantiam seminis de substantia nutrimenti, quia puer in utero matris nutritur: & ideo si aliquis embryis vescaatur, & ex superfluo illius cibi generetur aliquis, illud quod erit in substantia seminis, resurgent quidem in eo qui ex semine generatur, nisi in illo contineretur aliquid quod fuisset de substantia seminum in illis ex quorum carnibus comeditis semen generatum est, quia hoc resurget in primo, & non in secundo, residuum aurem carnium comedistarum, quod non est conversum in semen, consit quod non resurget in primo, utrique divina potentia supplente quod deest. Prima autem opinio, hac objectione non arctatur, cum non ponat semen esse ex superfluo alimenti; sed alias multæ rationes sunt contra eam, ut in II. Lib. dist. xxx. quest. 11. art. 2. patuit.

SOLUTIO V.

Ad quintam questionem dicendum, quod illud quod est materialiter in homine, non habet ordinem ad resurrectionem, nisi secundum quod pertinet ad veritatem humanæ naturæ, quia secundum hoc habet ordinem ad animam rationalem. Illud autem totum quod est in homine materialiter, pertinet quidem ad veritatem humanæ naturæ quantum ad id quod habet de specie; sed non totum considerata materia totalitate, quia tota materia quae fuit in homine a principio vita usque ad finem, excedet quantitatem debitam speciei, ut tercia opinio dicit, quæ probabilior inter ceteras mihi videtur: & ideo totum quod est in homine, resurgent considerata totalitate speciei, quia attenditur secundum quantitatem, figuram, situm, & ordinem partium; non autem resurgent totum considerata totalitate materiae. Secunda autem opinio, & prima non uteatur hac distinctione; sed distinguunt inter partes, quarum (1) utraque habent speciem, vel materiam. Convenient autem haec duas opiniones in hoc quod utraque dicit, quod illud quod est ex semine generatum, totum resurgent etiam totalitate materiae considerata. Differunt autem in hoc quod de eo quod ex alimento generatur, nihil resurgere ponit prima opinio; secunda vero aliquid ejus resurgere ponit, & non totum, ut ex dictis patet.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut quidquid est in aliis partibus corporis, resurgent considerata totalitate speciei, non autem considerata totalitate materiae; ita etiam est de capillis. In aliis autem partibus advenit aliquid ex nutrimento quod facit augmentationem, & hoc computatur ut alia pars, considerata totalitate speciei, quia obtinet alium locum, & situm in corpore, & substans aliis partibus dimensionis; aliquid autem advenit quod non facit augmentationem, sed cedit in restauracionem deperditum in nutriendo, & non computatur ut alia pars totius secundum speciem considerati, cum non obtineat alium locum, vel situm in corpore, (2) quam pars quae defluxit tenebat; quamvis possit alia pars computari considerata totalitate materiae; & similiter est de capillis. Augustinus ergo loquitur de incisionibus capillorum, (3) quae erant partes facientes augmentationem: & ideo oportet quod resurgent, non tamen in quantitate capillo-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Supplementum ubi supra art. 5. utraque habet. (2) Al. quem pars quae defluit. (3) Supplementum quia.

rum, ne sit quantitas immoderata, sed in aliis partibus, ut necessarium judicabit divina providentia. Vel loquitur in casu illo quando aliis partibus deficit: nunc enim corum defectus poterit ex superfluitibus capillorum reparari.

Ad secundum dicendum, quod secundum tertiam opinionem eadem sunt partes secundum speciem, & secundum materiam. Non enim illa distinctione uitatur Philosophus in I. de gen. text. XXXV. & deinceps ad distinguendum diversas partes, sed ad ostendendum quod eadem partes possunt considerari & secundum speciem quantum ad id quod est forma, & speciei in ipsis, & secundum materiam quantum ad id quod subest forma, & speciei. Constat autem quod materia carnis non habet ordinem ad animam rationalem, nisi in quantum est sub tali forma: & ideo ratione ejus habet ordinem ad resurrectionem. Sed prima, & secunda opinio, quae ponunt alias esse partes quae sunt secundum speciem, & alias quae sunt secundum materiam, dicunt quod anima quamvis utrasque partes perficiat, tamen perficit partes secundum materiam, medianibus partibus secundum speciem: & ideo non equaliter habent ordinem ad resurrectionem.

Ad tertium dicendum, quod in materia generabilium, & corruptibilium dimensiones interminatas oportet intelligere ante receptionem formæ substantialis: & ideo divisio quae est secundum hujusmodi dimensiones, proprie pertinet ad materiam; sed quantitas completa, & terminata advenit materia post formam substantiam: unde divisio quae fit secundum dimensiones terminatas, respicit speciem, præcepit quando ad resurrectionem speciei pertinet determinatus situs partium, sicut est in corpore humano.

ARTICULUS III.

Utrum omnes resurgent in eadem ætate, scilicet juvenili.

III. P. quest. XLVI. art. 9. ad 4. & Lib. IV. contra Gen. cap. LXXXVIII.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non omnes resurgent in eadem ætate, scilicet juvenili. Quia Deus resurgentibus, præcepit beatis, nihil subrahet quod ad perfectionem hominis pertinet. Sed ætas pertinet ad perfectionem hominis, cum senectus sit venerabilis ætas. Ergo senes non resurgent in ætate juvenili.

2. Præterea. Ætas computatur secundum mensuram temporis præteriti. Sed impossibile est tempus quod fuit præteritum, non præterisse. Ergo impossibile est eos qui majoris ætatis fuerunt, ad ætatem juvenilem reduci.

3. Præterea. Illud quod magis fuit de veritate humanæ naturæ in unoquoque, maxime resurgent in eo. Sed quanto aliquid primo fuit in homine, tanto videatur magis ad veritatem humanæ naturæ pertinuisse, quia in fine propter virtutem speciei debilitatem comparatur vino aquoso corpus humanum, ut patet per Philosophum in I. de gener. text. LXXXVII. Ergo si omnes debent in eadem ætate resurgere, magis decet quod resurgent in ætate puerili quam juvenili.

Sed contra est quod dicitur Ephes. iv. 13. Donec occurramus omnes... in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed Christus resurrexit in

Eæ ætas.